

## QUÆSTIO CX.

### DE GRATIA QUANTUM AD EJUS ESSENTIAM.

In articulo primo inquit D. Thomas utrum gratia ponat aliquid in anima. Respondet triplici conclusione; Gratia dicitur multipliciter (hæc est prima conclusio) scilicet pro dilectione, qua aliquis habet aliquem sibi gratum, vel pro beneficio collato gratis, vel pro gratiarum actione pro beneficio suscepto. Secunda conclusio: Gratia sumpta secundo, vel tertio modo ponit aliquid in eo, qui gratiam accipit. Tertia conclusio: Gratia sumpta pro dilectione Dei ponit aliquem effectum in creatura, ex dilectione quidem communi, aliquid naturale, ex dilectione autem speciali, qua elevatur ad communicationem divinam, aliquid supernaturale.

In articulo secundo inquit D. Thomas utrum gratia sit qualitas animæ. Respondet triplici conclusione. Prima conclusio. Effectus gratuita voluntatis divinæ secundum quod movet creaturas racionales ad agendum supernaturaliter non ponit in anima qualitatem, sed motionem. Secunda conclusio: effectus gratuita voluntatis divinæ secundum quod aliquid habituale infundit per modum principii, et formæ operativæ est qualitas animæ. Tertia conclusio ad secundum: Gratia non potest esse substantia, sed accidens.

In articulo tertio inquit D. Thomas utrum gratia sit idem quod virtus. Et respondet unica conclusione: Gratia distinguitur realiter a virtutibus infusis, sicut lumen naturale rationis distinguitur ab acquisitis, et se habet ut radix illarum.

In articulo quarto inquit D. Thomas utrum gratia sit in essentia animæ sicut in subjecto; an in aliqua potentiarum. Et respondet unica conclusione: Gratia gratum faciens quæ distinguitur a virtutibus non est in potentiis animæ; sed in essentia tamquam in subjecto, et facit nos participes divinæ naturæ, sicut per virtutem fidei participamus cognitionem divinam et per charitatem amorem divinum.

## DISPUTATIO XXII.

DE ESSENTIA, ET QUIDDITATE GRATIÆ.

—

### ARTICULUS I.

*Utrum quidditas gratiæ consistat in formali participatione divinæ naturæ?*

I. Suppono primo, quod non agimus hic de gratia in tota sua latitudine, sed de gratia sanctificante;

est enim de fide certum dari in nobis aliquod donum habituale intrinsece receptum sanctificans formaliter, distinctumque ab actuali auxilio (sive de potentia absoluta possit etiam fieri justificatio per actum contritionis, sive non). Hoc patet manifeste in justificatione parvulorum, in quibus non datur aliquis actus, vel actuale auxilium, et tamen per aliquod intrinsecum emundari a peccato originali constat ex Tridentino sessione v; canone iv et v. Et quod forma justificationis, seu justificans sit aliquid intrinsecum inhærens, constat ex sessione vi, ca-

pite vii et canone xi. De hoc ergo intrinseco dono quo justificantur, inquiri quæ sit ejus quidditas, et quomodo dicatur participatio divinæ naturæ, ut explicemus illud II Petri i: *Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ex quo loco theologicum D. Thomas hic art. iii colligunt gratiam esse ipsam divinam naturam participative, ita quod gratia sit accidentaliter id quod Deus est substantialiter.

II. Suppono secundo plures effectus conferri subjecto per istam formam, quæ est gratia sanctificans. Primo enim elevat animam in ordine supernaturali, et facit illam participative divinam: secundo, reddit hominem gratum, et dilectum Deo: tertio, emundat a peccato, et renovat, seu rectificat hominem interiorius: quarto, facit filium adoptivum tribuendo jus ad gloriam tamquam ad hæreditatem: quinto, habet Deum inhabitantem in nobis. Qui omnes effectus communiter attribuuntur ipsi gratiæ, neque possunt provenire ab aliquo actuali auxilio movente; tum, quia isti effectus permanent in homine, motio autem, et auxilium transeunturum; quia, auxilium solum est in homine quando operatur, isti autem effectus etiam homine operante, sed dormiente permanent. Et eadem ratione non proveniunt ab aliqua virtute operativa, et inclinatione proxima ad operandum, quia isti effectus non pertinent ad operari, sed ad esse, ut esse filium Dei, esse gratum, et emundatum a peccato, etc. debent ergo provenire a forma non operante qualis est gratia.

III. Inquires quis ex istis effectibus numeratis sit primarius, et principalis effectus gratiæ. Respondetur primum esse reddere naturam rationalem participem, et consor-

tem divinæ naturæ, et ex hoc reliquos effectus consequi. De quo videatur Joannes Vincentius relectione de gratia Christi, pagina xiv et xxvi, et Curiel hic art. iii, dub. ii, §. xxi: et dico naturam rationalem, quia si gratia poneretur in re inanimata, et inhæreret illi, esset ibi per modum qualitatis, non per modum gratiæ, id est, non denominaret lapidem, verbi gratia, justum et gratum Deo, sed solum habentem, et sustentantem illam qualitatem quæ est gratia: nunquam autem debet judicari proprius, et specificus effectus formalis alicujus formæ ex eo quod habet in subjecto incapaci, et non connaturali, sed in subjecto capaci: sicut si albedo poneretur in Angelo non redderet illum album, sed sustentantem albedinem; et species visibiles in aere non repræsentant illi objectum, repræsentant autem potentiæ visivæ in qua sunt ut in subjecto connaturali. Igitur gratia cum sit forma quædam vitæ supernaturalis, et divinæ proprium effectum suum præbet subjecto rationali, quod est capax vitæ intellectivæ supernaturalis. Et in hoc dicimus primum effectum talis formæ esse reddere hominem participem divinæ naturæ. Sumitur ex D. Thomas hic articulo iii et iv, ubi ostendit ad gratiam ut distinguitur a virtutibus pertinere quod reddat hominem participem divinæ naturæ. Sed D. Thomas ex professo explicat hic quidditatem, et essentiam gratiæ; ergo si explicat illam solum per hunc effectum, plane videtur sentire illum esse primum, et magis essentialem. Item significatur hoc in illis verbis D. Petri relatis: *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*, nam ly per hæc, rationem causæ formalis denotare videtur, nec alicubi formaliter explicari videtur natura gratiæ, quam in hoc loco, ut communiter sentiunt

theologi. Similiter eadem ratione dicitur gratia Dei : *Vita æterna*, Romanorum : vi et : *Semen Dei*, i Joannis iii : et : *Fons aquæ salientis in vitam æternam*, Joannis iv, quia proprius, et per se effectus hujus formæ est reddere hominem participem æternitatis, et viventem modo æterno, sicut faciet in patria quando consummabitur gratia per gloriam.

IV. Denique ratione hoc constat, quia inter omnes effectus gratiæ iste est excellentior, et magis intimus, et physicus : ergo magis specificus, et primarius, non enim est conveniens quod perfectior effectus alicujus formæ sit secundarius, et consequens ad imperfectiorem. Antecedens autem constat, quia participatio immediata divinæ naturæ est id quod est conjunctius, et propinquius Deo; ergo est id quod excellentius est in gratia. Deinde, omnes alii effectus hunc præsupponunt, nam esse gratum, et dilectum a Deo non sumitur solum pro extrinseca denominatione proveniente ab actu dilectionis Dei, sed pro ipsa perfectione qua redditur anima congrue amabilis a dilectione Dei : hæc autem perfectio quæ supponitur ut reddatur amabilis et grata, non potest esse alia, neque major quam quod sit anima per gratiam ipse Deus participative. Similiter emundatio a peccato, et renovatio interior quantum ad expulsionem peccati est effectus secundarius, quia expulsio formæ oppositæ supponit introductionem formæ expellentis, et quantum ad positivum effectum rectificandi, cum sit rectificatio ordinis supernaturalis supponit etiam aliquod esse supernaturale : ergo prius est participare hoc esse quando fit per participationem divinæ naturæ, quam denominari rectum, et justum in illo ordine supernaturali. Item, filiatio adoptiva supponit esse superna-

turale in quo fundatur, et de facto in Christo datur gratia, et non filiatio adoptiva; ergo non potest esse effectus specificus, et primarius, quia iste separari non potest a forma in subjecto connaturali existente. Denique, inhabitatio Dei in anima supponat ipsam sanctificatam a Deo, et ratione talis sanctitatis Deus inhabitat in illa, juxta illud Joannis xiv : *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Ergo effectus participationis divinæ, et supernaturalis est perfectior, et primarius inter alios.

V. Reducitur ergo difficultas ad hoc quod explicemus, id quod difficultissimum est in hac parte, videlicet an gratia sit formalis participatio Dei, vel solum virtualis, aut quid sit; pro cujus explicatione supponimus, quod participatio alicujus rei qua aliquid denominatur participative tale, vel est moralis, vel physica. Moralis participatio fit mediante aliquo actu voluntatis designante aliquid ut vices alterius gerat, vel ad ipsum pertineat. Hac ratione dicitur uxor assumi in consortium, et dignitatem viri medio contractu matrimonii, et pecunia accipit valorem mediante signo regis, quod totum pertinet ad participationem extrinsecam, et moralem. Participatio physica est illa quæ convenit alicui ex natura ipsa rei, secluso omni pacto, vel actu voluntatis, sicut imago naturaliter participat suum representatum, et illa naturalis participatio alia est virtualis, alia formalis; virtualis dicitur, vel quia est participatio alicujus virtutis ad producendum, vel continentium id quod in se habet participationem formalem, sicut species impressa dicitur virtualis participatio objecti, quia continet virtualiter speciem expressam, quæ est formalis representatio : et semen dicitur

virtualis participatio generantis, quia est virtus ad producendum simile, in quo est formalis participatio generantis : vel etiam dicitur virtualis participatio, quia solum participat id quod est virtualiter, et eminenter in suo principio, non quod formaliter, sicut intra terram participatur calor solis, et non lux, cum tamen calor solum virtualiter sit in sole : formalis autem participatio est illa quæ participat id quod, formaliter est in alio, sicut aer participat lucem a sole, quæ in illo formaliter est. Creaturæ ergo secundum ordinem naturalem participant id quod est in Deo eminenter, et ideo vocantur virtuales participationes Dei : participare autem id quod Deus formaliter est, hoc pertinet ad supernaturalia, et hoc inquirimus de gratia, an sit participatio formalis, et expressa ejus quod in Dei formaliter invenitur, sicut lux aeris participat lumen solis.

VI. Duæ sunt sententiæ, quæ conveniunt primo in hoc quod ista participatio divinæ naturæ de qua loquitur D. Petrus, et quæ convenit gratiæ, non est sola moralis participatio, sed physica et realis. Et breviter hoc constat, quia de fide est nostram justificationem fieri per aliquid reale intrinsecum nobis inherens ex Concilio Tridentino sessione vi, capite vii et canone xi. Similiter est concursus theologorum sententia ab ipsa Ecclesia approbata dari in nobis habitus infusos, et virtutes theologicas, quibus elevamur ad actus supernaturales eliciendos, tamquam principia realia, et intrinseca, ut docent 1-2, quæstione lxxii. Ergo ista participatio, et consortium divinæ naturæ quo ita elevamur non est solum aliqua denominatio extrinseca, et moralis, sed realis, et physica, utpote habens effectus intrinsecos, et reales.

VII. Differunt vero istæ sententiæ

in modo explicandi istam participationem realem divinæ naturæ, nam quidam, ut magister Joannes Vincentius citatus, et plures ex Thomistis tenent gratiam esse participationem formalem divinæ naturæ, quia participat divinas perfectiones in quantum divinæ sunt, id est, in quantum actus purus, et ipsum esse independens, et immutabile; alioquin non erit participatio supernaturalis si non participat id quod divinum est in eo, in quo elevatur supra totam naturam creatam. Alii vero ut Curiel loco citato, oppositum tenent, putantque implicare quod ipsa ratio actus puri, et divini esse, ut est in se formaliter, participetur ab aliqua forma creata, quæ limitata est, et opposita formalitati actus puri; omnis enim creatura limitate participat Deum : ergo non habet formalem convenientiam cum prædicato divino; ergo repugnat quod ipsam illimitationem, et infinitatem formaliter participet creatura. Consequentia patet, quia ad formalem participationem requiritur formalis convenientia inter participatam, et participans, ut patet in illis perfectionibus divinis, quæ vocantur simpliciter simplices, ut sapientia, justitia, misericordia, etc. quæ ex suo formali conceptu nullam involvunt, neque important imperfectionem, inveniuntur autem in Deo sub ratione perfectionis infinitæ. Dicuntur autem participari formaliter a creatura, quia sub conceptu formali justitiæ, vel sapientiæ inveniuntur, non tamen sub formalitate infinitatis a qua denudantur in creatura. At vero ipsa ratio actus puri, et entis per essentiam non potest participari formaliter, quia non potest denudari ab ipsa ratione infinitatis, et ita nullo modo potest formaliter in creatura participari, quia limitatio illius habet repugnantiam cum tali prædicato illi-